



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Conciliarvm Omnium Generalium Et Provincialium Collectio Regia**

Ab anno DCCCCX. ad annum MLXXIII.

**Parisiis, 1644**

XX. De incestuosis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-15625**

matione, mulcta, legis violatae poena, siue rebus suis omnibus compensato.

## XIX.

Si quis iura violarit coniugalia, prout magis minusve peccarit, castigetur. Iniquum id quidem est, vt quis nuptiis alligatus puellam vitiet aliquam, multo tamen iniquius cum vxore aliena rem habere, sacrisve inauguratam constuprare.

Regii manuscripti capitulum 18.

## XX.

Si quis stuprum incestum commiserit, siue capitis aestimatione, siue mulcta, siue rerum suarum omnium amissione, pro ipsa familiae amplitudine, compensato. Neque vero vna eademque habenda est germanae sororis atque remotioris cognatae stupratae ratio.

Regii manuscripti capitulum 19.

## XXI.

Qui viduam per vim stuprarit, proprii capitis aestimatione compensato: nec mitiori conditione sit qui virgini vim intulerit.

Regii manuscripti capitulum 21.

## XXII.

Vxor si marito superstite cum alio quocumque corpus miscuisse conuincatur, dedecus atque insignem omnino in posterum atate infamiam subito, maritus res eius omnes habeto, mulieri vero tum nasus tum auriculae praeciduntur. Sin pellicatus postuletur tantummodo, atque in excusatione afferenda ceciderit, tum quidem eius rei potestas episcopo deferatur, atque is litem aestimato seuerissime.

Regii manuscripti capitulum 22.

## XXIII.

Si quis nuptiis alligatus cum sua ipsius ancilla concubuerit, ancilla mulctatus, Deo & hominibus facito satis. Si quis vxorem legitimo nuptiarum foedere coniunctam simul & concubinam habuerit, ei sacerdotum nullus Christiani hominis iura concedito, nisi quidem illam prius repudiarit, cumulate, perinde atque ei fuerit ab episcopo imperatum, compensarit, atque ab eiusmodi ad posterum temperarit.

Regii manuscripti capitulum idem.

## XXIV.

Alienigenae illicitas carnis libidines si non cohibuerint, vna cum flagitiis & fortunis suis omnibus regno exterminantur.

Regii manuscripti capitulum idem.